

Johann Sibrand

**Joannes Sibrand/ U.I.D. In Alma Patria Decretal. P. P. A. C. D. & Amplissimae  
Facultatis Iuridicae Senior. ad exercitium Disputationum XXV. Dissertationum Viri  
Nobilissimi ... Dn. Joachimi Schnobelii, ICTi quondam huius Academiae longe  
famigeratissimi, post Syndici Sedinensis gravissimi ... Publico hos Programme,  
Omnes liberalium artium Fautores ac Cultores, ad placidam hancce  
Disquisitionem decorandam, humanissime invitat**

Rostochii: Richelius, 1688

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741709627>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. Januar 1688  
Sibrand, Joh.



Q. D. T. O. M. B. V.  
**JOANNES Sibrand/ U. J. D.**  
In Alma Patria Decretal. P. P. A. C. D. & Amplissimæ  
Facultatis Juridicæ Senior.

ad exercitium Disputatorium  
XXV. Dissertationum

*VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi,  
Excellentissimiq;*

**DN. JOACHIMI  
SCHNOBELII,**

**J**Cti quondam hujus Academiæ longe  
famigeratissimi, post Syndici Sedinensis  
gravissimi.

Abs Nobiliss. quibusdam infra nominatis Jurium  
Cultoribus Strenuiss.

*In aereamento Majori*

Alternis vicibus habendum,

**Publico hoc Programmate,**

**Omnes liberalium artium Fautores ac Cultores, ad placidam  
hancce Disquisitionem decorandam,**

*humanissime invitatur;*



**ROSTOCHII,**

**Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Senat. Typ:**

**ANNO M DC LXXXVIII.**

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

1688

1688



Æpius cogitanti, undenam tanta indies ingruens barbaries, cum tamen hodiè tot egregiis instructi subsidiis, tantisque aduti adminiculis, quibus anterioribus seculis Antecessores nostri destituti, herculeo penè labore, immensum hoc juris latifundium ingredi tenebantur; aliud ex alio incidit: Nec ignoro alios id imputare fato literario declinanti; cujus causam si quis curatius investiget, acu quidem me iudice rem tetigerit, qui perverso studendi ordini hoc adscripserit. Negari quidem nequit, quamlibet ætatem conqveri solitam, de seculi sui infelicitate, ac longe gravius ac præsentis quidem, deploratissimo licet, id fieri animadvertimus tempore. Callum scilicet obduxit stupor. Non dicam de summo neglectu studii Theologici, & linguarum, quibus quilibet elegantioris literaturæ cultor operam navare tenetur; Quamvis nec is mihi verus Jureconsultus, qui non & lingvis necessariis imbutus, & Theologiæ sacris initiatus: quod jurisprudentia nostra, *rerum divinarum* non minus quam *humanarum notitia*. Nam de conclamato penè studio sacro, querelas, & jure quidem, audias Theologorum gravissimorum: Domi quod ægamus habemus, ut non sit cur falcem in alienam mittamus messem. Pudet referre quam pauci nomina Amplissimis Antecessoribus nostris sint professi, qui tamen juris cultores audire cæteroquin impense adfectant, imò palàm se profitentur; cum jura tamen vix primoribus gustarint labris. Nuda scilicet nomina, qui necessariis neglectis, aureum illud tempus, non necessariis imò ludicris impendunt. Inde qui studio sese huic consecrassè videri volunt, plures cernas, si numerum autem in eas illorum qui publicis intersint lectionibus, vel privatim sese exercent, fortean perpauci erunt reperire. Non placet numerum inire, ne Alma nostra præter omne suum meritum inde malè apud externos audiat. Me ipsum quod attinet, quod vel in vitus confiteri cogor, sæpius calamum in manum sumsi, ut & meum iteratò legeretur nomen in publica tabula; at atramento tinctum iterum abjici,

UNIVERSITÄT ROSTOCK

ei, quod viderem me idem habiturum fatum, quod & antehac ipse & post me ceteri Excellentissimi Antecessorum experti: & sic vadum ante tentatum horruī. Sæpius illud Prophetæ in animo meo volvo & revolvō, *Maledictus, qui officium suum negligenter fecerit*; sed abs cœpto desistere cogor, quod pervalsissimum mihi habeam, nos non scamnis aut subfelliis legendis, abs Serenissimis huic præfectos esse spartæ. Possent testes vocare, nī mea mihi conscientia instar mille testium, qui novère, me desidiam ejusve adsecas, angve pejus ac cane odisse: Sæpiusqvè graviter perorare in id vitium, sanioribus etiam Ethnicis detestatum maxumè. Non ignoro alios culpam rejicere in Doctores, quo jure quave injuria jam non expendo. Breviter ergò lubet, programmatis habiturus rationem, hac occasione perpendere, quænam caussa quod hodiè ita cuncta vergant ad pristinam barbariem, & hâc ratione studia vilescant? Si ab ovo res foret repetenda, quivis vel per se animadvertet, tum in molli educatione, id hæere vitii; tum quod in Martiali hoc seculo, ubi Martis filios unicè prædominari videas, elegantioribus studiis nuntius mitti svêrit; quod inter arma sileant literæ: Tum etiam quod Scholæ ac Gymnasia pristino suo destituantur nitore, ob multas rationes in præsentia tacendas; quodqvè quæ in Academiis tractanda forent, inverso prorsus juventuti propinari videamus ordine. Necessaria ignorantur, quod minus necessaria tractentur; Tum quovè quod studia exiguo in pretio, imò plus nocumenti quam emolumentum, cultoribus suis adferant, ne dicam eos prodant sæpius. Studia hinc elegantiora, quod non sint de pane lucrando, negliguntur, & cruda studia propelluntur in Aacademiam, propelluntur in forum: Et cum per compendia itur, dispendia inde propullulantia, ultrò sese suo quasi forex indicio produunt. Cumqvè Imperator integrum quinquennium, idque indefesso studio impendi voluerit, *Const. omnem. ad Antec. Pontifex autem vel septennium c. 34. de Elect. in 6to.* quod & hodiè quidam requirunt in studioso juris; contra citius hodiè quem evadere Jctum videas quam asparragi coqvuntur. Sunt practici priusquam theoriam vel à limine salutarint. Vera me loqui experientia, veritatis magistra, cum maxumo studiorum malo testatur, & utinam me falsum heic esse liceret. Quis hodiè auctores Classicos quos sibi Aacademiam petens familiarissimos debebat reddidisse, vel nomine tenus, habet cognitos? quid ergò mirum jurisprudentiæ studium hodiè reputari, ob lingvæ ignorantiam, vel penitioris cognitionis defectum, tam abstrusum. Paucis proin examinaturus, undenam istæ difficultates, & quænam illarum medela. Nec impræsentiarum mihi sermo de difficultatibus ortis vel ex ipsis legibus, earumqvè tum vera tum apparente antinomia:

tinomia : quodquè multi conqverantur, tempus impendi materièbus jam dudum in desuetudinem abeuntibus. Nec quatenus ex Interpretum culpa, quorum aliis pro symbolo, illius Philosophi effatum, ἐσκόπῳ, ἐσκόπῳ : Sed quæ ex parte Auditorum ; Ubi vel statim sese offert, segnis illa educatio, & matrum præprimis prava indulgentia, nolentium sese macerare filiolos, sed liberalia studia, liberaliter tractari volunt, largiter ad id præbentium sumptus : ut melius memores esse queant, illius triti : *Interpone tuis interdum pocula libris* : Nihil pensi habentium, inde Vacunæ litari. Accedit quod aliquando Parentes occæcati, intempestivo affectu erga studia, parum solliciti, quod non ex quovis ligno Mercurius ; sed vel invita Minerva suos studiis addicunt : & in pistrium quasi dedant ; Ubi ob turpe lucellum qui illorum studiis præfecti, produnt sæpe tum parentes, tum liberos. Hi enim quo diutius fruuntur pingviori lucro, laudant reprehensionem promeritos, taliqvé modo miseris illudatur parentibus. Mittitur in Academiam miser juvenis, tanquam in mercatum optimarum artium, priusquam studiorum dulcedinem, vel primis gustavit labiis. Seram pendens poenam infirmitatis, imbecillitatis, & ruditatis suæ ; ubi sentit se imparè esse, nec satis percipere quæ à Doctore proferuntur, desperatio subit animum, mox nuntius mittitur studiis, divenditisqvé libris, gratulari sibi optat à parentibus, quod iis alatur. Aliis quidem non deest ingenium, obest tamen *κενοδοξία*, & *δοξοφία*, quod putent se jam culmen eruditionis ascendisse, immemores illius Quinctiliani : *Multos perventuros, nisi se jam pervenisse crederent.* Alii *αὐτοδιδάκτοι* vivam docentis vocem spernunt, persuasum sibi habentes, melius se proficere posse ex magistris suis mortuis & multis. Hinc publicas, hinc privatas spernunt lectiones, inde lectoria & auditoria ab iis vacua, cum tamen maximis in eam rem sumptibus Superiorum, publicè proficentes alantur, quibus antiquitas, plurimum semper tribuere solevit. Hinc Plinii, ast cujus viri vox ! l. 7. Ep. 21. *A lectione abstineo, solis studeo auribus.* Inde plenissimum credidere fructum in auditores devolvi : testis omni exceptione major Plutarchus, libro *περὶ τῆ ἀκρίει* : Quod efficacius, quod plenius, quod facilius per auscultationem cuncta posse percipi crederent. Inde Quinctil. l. 2. c. 2. *Licet satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppetat, tamen viva vox illa, alit plenius.* *Habet nescio quid*, inquit Hieronymus, ad Paulinum. *Latentis energia viva vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat.* Idem sentit Plinius l. 2. Ep. 3. Ubi ad Isaacum audiendum Nepotem hortatur : *Multo magis, ut vulgò dicitur viva vox afficit. Nam licet acriora sint quæ legas, altius tamen in animo sedent, quæ pronunciatio,*

*atio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit.* Imo tam sacra veteribus au-  
 scultatio, ut omnibus abstinerent nugis, clamoribus aut alienis cogitationibus  
 teste *Plut. d. Lib. de auditu*: Add. *Senec. Suasor. 2.* Accedit & alterum vi-  
 tium *ἀυπηδίακτων*, quod quam semel imbiberunt sententiam, sive veram,  
 sive falsam, mordicus retineant. Alios perdit *Φιλαντία*, non licita, & ho-  
 mini innata, qua de Scharock & alii. Sed prava illa morum & bonarum  
 literarum pestis: Hi amore sui inescati, persuasum sibi habent, sese istud O-  
 raculi, *γνώσι πᾶντι* ex asse callere, quæ tamen inanis & inutilis scientiæ per-  
 vsasio, adolescentibus turpis, adultis summè dedecorosa, omnibus noxia.  
 Ab aliis ordinem, studiorum verè matrem, negligi videas, cum tamen maxu-  
 mé officiat ingenuis studiis *desultorium* illud, *vagum ac tumultuarium studiu-*  
*um*: quod lapis sæpe circumvolutus rarè obducatur musco. Hinc ex men-  
 te Senecæ ad Lucillum, *nusquam est qui ubiq; est.* *Certis ingeniis immorari*  
*& innutriri oportere*, idem sentit, *si velis aliquid trahere quod in animo fideliter*  
*sedeat*; qui ob hanc rem prioribus Epistolis legi meretur. Liceat ergò  
 eodem teste, *in aliena castra transire, sed non tanquam transfugam, sed tan-*  
*quam exploratorem.* *Scholaris enim vagus*, ex cuiusdam mente, *nunquam fiet*  
*Magister.* Add. *Senec. Ep. 45. & 108.* Quid dicam porrò de voluptatum se-  
 ctatoribus, plus vini, vel cerevisiæ, vel tabaci, quam olei consumentibus? Qui  
 ut rationem habeant & lignorum & candelarum, imitantur aniculam illam  
 quæ adeo parca, ut vel integrum cantharum cerevisiæ melioris, ad frustillum  
 candelæ absumeret: frequentius *ganeam*, quam museum frequentantibus.  
 Quos vix sol sobrios adspexerit: De quo genere hominum *e. quando Dist.*  
*44. c. nihil. 28. de consecrat. 510.* de quibus *Stobæus περὶ σωφροσύνης.* Serm.  
 XXXVII. Cum & sine Cerere & Libero, juxta Comicum, frigeat Venus. A-  
 lii relictis Musarum castris, Veneri litant, parum pensi habentes, illud Poëtæ.  
*Ocia si tollas, periere cupidinis arcus.* Quid dicam de *aleæ* lusu, in jure ve-  
 tito? Malorum illa lerna. Sæpe in præcipitium defert amatores sui, quod  
 creberrimis dejectionibus, DEUM sibi reddant iratum, temporis existant fu-  
 res, sibiq;e adquirere studeant, modo quodam acquirendi, in jure prorsus in-  
 cognito. Quid de frequentioribus commestationibus? Vespertinis excursio-  
 nibus, exindeq;e resultantibus nocturnis boatibus, & cum vigilibus sine glo-  
 ria, imò sæpius cum maximo illorum damno initis certaminibus, dixerim?  
 Et si quis omnes scopulos, ad quos videmus impingi, abs Academica juven-  
 tute, recensere velit, id vix unius diei foret opus. Brevissimis ergò quo-  
 modo hæc omnia commode vitari queant, per Satyram quasi sum enoda-  
 turus.

tutus. Quicumque ergo sibi suisque studiis probe consulere cupit, is cum animo perpendat suo, cuncta esse inchoanda ab *invocatione Divini Numinis*, qui & Gentium saniorum & Ethnicorum mos, pluribus deducente Struv. *tractat. de invocat. Div. Nom. Aph. 17.* Ἄλφα itaque & ὤμειρα sit divinum illud Numen, omne enim bonum & perfectum opus à Patre luminis, qui deserentem se deserit: cuius quidem invocationem *bonum sequitur initium, melius medium & optimus finis.* Monente *Glossa ad Πνευματικὴν Ἰνστι.* Hanc excipit *viva Magistri, & profitentis vox*; Memor sit quoque Dedicationis Imperatoriae *cupida legum juventuti factae.* Adhibeantur *Magistri illi muti*, quibuscum frequenter sociandus sermo, Accedat frequens *repetitio & ruminatio*, cum teste nostro Imperatore, *id demum firmum & stabile, quod repetita probavit lectio.* Lectio enim *lecta placet decies repetita placebit.* vid. *Quinct. Lib. 10. cap. 1.* Adsit *castitas & sobrietas.* Nam teste Nathane Chytræo, *Almæ hujus quondam Professore celeberrimo, magni Davidis fratre:*

*Sobrietas, labor assiduus, parcissima cura  
Temporis, hæc doctum numina tria creant.*

Non parum præterea promovet studia, frequens discantis *sciscitatio & interrogatio*: Ut passim est videre in jure nostro. Testatur id exemplum *Servii Sulpitii l. 2. §. 43. de O. J. Modestini L. 77. d. succ. & aliorum.* Frequens adsit *scriptio & advocatio*; omnium enim habere memoriam plus divinitatis quam humanitatis. Adsit in lectione *ordo.* Collegia frequententur *haud interrupta serie*; ex iis enim quibus alternis vicibus interesse sivevimus parum sperandum emolumenti: Adsit amica *collatio* & quod quis per diem legit, cum commilitone conferat, imò de nocte antequam somnum petat ruminet: quem modum teste Lipsio *manud. ad Stoic. Philos. Lib. 3. c. ult.* cana antiquitas nunquam non probavit. *Nulla demum dies sine linea.* Frequentiora ineanur *examina, & instituantur placide, veritas ne nimium altercando amittatur, collationes.* Quantum enim istæ profint, vel nupera declaravit *Meditatio Academica, de Disputat. Utilitate.* Mediante quippe examine cognoscimus quid sciamus, disputandi autem exercitium dat facultatem, illa proferendi. Quare etiam nonnulli ex Nobil. Studiosorum numero, mihi existere Auctores, ut cum inter privatos parietes, Imperatorias Institutiones, nec non partem bonam Pandectarum, examinando & disputando absolvissimus, ut publicè

publicè experiri liceret, quid hâc in Palæstra humeri valerent, quid ferre impo-  
sterum sint recusaturi. Ut ita cum hæcenus armis usi sint *prælusoriis* & ad *pa-  
lum* quasi domi exercuerint sese, *decretoriis* & *pugnatoriis* uti liceret: ita ut  
publicè studia sua illis quibus & de otio rationem reddere semet obstrictos cen-  
sent, probare valerent. Meo proin ductu & auspicio, ad hoc exercitium ele-  
gère Disputationes Schnobelianas XXV. uti ad hanc Palæstram quasi aptas na-  
tas, id quod testantur tot Academiæ frequentes repetitiones inqve publicum  
exercitium productiones. Tum etiam quod ante octodecim annos Liben-  
thali Ethicam & Politicam, cum applausu Lectissimæ tum temporis Studiofo-  
rum coronæ, tum ante sexennium XXXII. Brunnemannianas Dissertationes  
non cum minore Auditorii lubentia in arenam produxerim. Lubentissimo  
ergò animo adire illorum honestissimis postulatis: Alternatim itaqve ni  
fortè unus vel alter adhuc nomen professoris fuerit, subire hanc aleam sustine-  
bunt, sequentes DNI. Commilitones, quorum nomina & vel ea propter ad-  
scribi merentur, ut ita & publice de illorum constet sese mutuo exercendi  
laudabili ardore.

CHRISTIANUS Weiß / Hollando Borussus.  
GEORGIUS FRIDERIDUS BUECK, Rostochiensis.  
BOECKEL PAULUS BORNEFELD, Lubecensis.  
JOACHIMUS HINRICUS SIBRAND, Rostochiensis,  
ADAM FRIDERICUS de JASMUND, Eqves Mega-  
politanus.  
JOACHIMUS HENRICUS MULLER, Alfatus.

Duxi autem eò magis id futurum è re Academiæ nostræ, quod rarissimi hodie  
reperiantur, qui exhibere publicam Disputationem sustineant: Quamvis lex  
in statutis reperiatur, quod nemo sine tali specimine huic valedicere Almæ de-  
beat; Etiam Professoribus sint injunctæ anniversariæ Disputationes, quæ ta-  
men ob Respondentium inopiam, in desuetudinem penè abièrunt. Favete pro-  
in Commilitones Nobilissimi, favete inquam, *Animis & Linguis*, addite cal-  
car ad ulteriora: *Excitat enim auditor studium, laudatq; virtus, crescit, & im-  
mensum gloria calcar habet.* Ne autem & ego *κῶρον* quasi *πρώσων* de-  
gere hæc loci videar, spartam clementissimè mihi concessam, adornare,  
pro virili ulterius studebo: & si per numerum Auditorum licuerit, lectiones publi-

publicas hyemali quidem hoc tempore in ædibus privatis adornabo, sin secus ad æstivum tempus prorogaturus. Erit autem materia Processus: Quoniam ex Jure Canonico, cujus mihi partes demandatae, ista est deprecanda: Et quidem ordinationem nostram Provinciale[m] quæ maximam partem desumpta, ex Ordinatione Camerae, quæ principiis juris Canonici innititur, explicandam mihi sumam. Pergite proin me solito prosequi favore, uti qui nunquam non, animum & affectum sum contestaturus benivolentissimum. Deus T. O. M. cum novo hoc anno omni felicitate singulos beet, cunctaque mala clementissime averruncet, studiaque Vestra in sui gloriam singulorumque emolumentum dirigat, Illi & Academiae nostrae, Provinciae hujus gemmulae pretiosissimae, commendamus humillime salutem, ut porro ex hac tanquam ex Eqvo Trojano prodeant fulcra Rerumpubl. saluberrima. Fiat! PP. ip[s]is Calendis Januarii. Anno d[omi]ni 1688.







publicè experiri liceret, quid hâc in Palæstra humeri valerent, quid ferri  
sterum sint recusaturi. Ut ita cum hactenus armis usi sint *prælusoriis* & a  
lum quasi domi exercuerint sese, *decretoriis* & *pugnatoriis* uti liceret:  
publicè studia sua illis quibus & de otio rationem reddere semet obstrictos  
sent, probare valent. Meo proin ductu & auspicio, ad hoc exercitium  
gère Disputationes Schnobelianas XXV. uti ad hanc Palæstram quasi apta  
tas, id quod testantur tot Academiarum frequentes repetitiones inq̄e publ  
exercitium productiones. Tum etiam quod ante octodecim annos I  
thalii Ethicam & Politicam, cum applausu Lectissimæ tum temporis Stue  
rum coronæ, tum ante sexennium XXXII. Brunnemannianas Dissertat  
non cum minore Auditorii lubentia in arenam produxerim. Lubentia  
ergò animo adturrexi illorum honestissimis postulatis: Alternatim itaq̄  
fortè unus vel alter adhuc nomen professoris fuerit, subire hanc aleam su  
bunt, sequentes DNI. Commilitones, quorum nomina & vel ea propt  
scribi merentur, ut ita & publice de illorum constet sese mutuo exer  
laudabili ardore.

CHRISTIANUS Weiß / Hollando Borussius.  
GEORGIUS FRIDERIDUS BUECK, Rostochie  
BOECKEL PAULUS BORNEFELD, Lubecens  
JOACHIMUS HINRICUS SIBRAND, Rostochie  
ADAM FRIDERICUS de JASMUND, Eqves M  
politanus.  
JOACHIMUS HENRICUS MULLER, Alfatus

Duxi autem eò magis id futurum è re Academiæ nostræ, quod rarissimi  
reperiantur, qui exhibere publicam Disputationem sustineant: Quam  
in statutis reperiat, quod nemo sine tali specimine huic valedicere Al  
beat; Etiam Professoribus sint inunctæ anniversariæ Disputationes, q  
men ob Respondentium inopiam, in desuetudinem penè abière. *Favete*  
in Commilitones Nobilissimi, *favete* inquam, *Animis & Linguis*, addi  
car ad ulteriora: *Excitat enim auditor studium, laudatq̄ virtus, crescit,*  
*mensum gloria calcar habet.* Ne autem & ego *κῶρον* quasi *πρώτον*  
gere hęc loci videar, spartam clementissimè mihi concessam, ador  
pro virili ulterius studebo: & si per numerum Auditorum licuerit, le

